etiam qui subditi obtemperaverunt imperatis talibus: cum ex contrario deberent, praetermisso eo, quod turpe erat, malumque morale, aliquem potius rem tantummodo tristem, hoc est iram superioris sui pravitas laturi recusationem jussis quamvis injusti, Aristoteles lib. 3º Ethicorum cap. 1º, Gellius Noct. Attic. lib. 12º cap. 7º, Antonius Mat. de crim. proleg. cap. 1º § 13º (§ 39º). Nihilominus harum rerum impunitas visa est posse tolerari, si nimirum et res levis foret, et simul eam extorsisset obsequium potestatis metuendae (§ 11º).

Sed legum animadversionem non effugiunt majoris momenti crimina l. Ad ea 157ª in princ. ff. de regulis juris, l. Servus 20ª ff. de obligat. et actionibus, l. 11ª § Bonlus ff. de injuriis —), quamquam et istorum poena sumetur plerumque mollior: videlicet propter eandem rationem jussus, qui semper aliquanto extenuat malitiam subditi obsequentis, nec unquam sinit videri parem improbitati eorum, qui peccant sua sponte l. Servos 8ª de sepulcro violato, l. 4ª § qui filium ff. de re milit.; Antonius Mat. loco cit.; et in lib. 48. tit. 18. num. 14º (§ 15º).

§ 43.

De Criminum Ratihabitione.

Ratihabitio est eorum, quae nostro nomine gesta sunt, approbatio. Hanc in contractibus aequari mandato res est tam pervulgata, tam apprime congruens: quando enim voluntas mea totum facere debet, nihil reapse interest, utrum antecesserit, an sit subsecuta; nihil interest, utrum tibi antea mandaverim aliquid mihi emere, vendere, conducere, stipulari, an cum tu ea, et similia feceris meo non mandato, sed nomine, ego deinceps rata habeam l. Semper 60ª ff. de regulis juris, l. licet 56ª ff. de judiciis.

Numquid idem erit in maleficiis? Non desunt, qui affirment; sed affirmatio eorum videtur dissentire a veritate. Nam si superioribus locis apparuit cogitationem, voluntatemque eam in crimine esse, non quae sit tantummodo improba, sed quae praecesserat damnosa (§ 9., 10., 12., et 24º), certe nihil damni dat ratihabitio criminis, quippe quae nunc accedit, cum jam crimen fuit perpetratum, Antonius Mat. de crim. proleg. cap. 1º § 14º. Adde quod in hoc genere multa placent ab aliis facta, quae nec facere ipse per se, nec etiam mandare auris quis unquam

fuisset: ex quo patet in ratihabitione criminis nec inesse necessario, atque semper ne illam quidem veram, deliberatamque patrantis criminis voluntatem, quæ tamen si nuda sit, nullius que efficentiæ, nullum crimen creat.

§ 44.

De his, qui opem ad crimen ferunt.

Tulisse opem ad crimen dicuntur, qui per quos facilius, tutiusque perfici crimen valuit. Hos verissime esse nocentes, et pœna dignos haud licet dubitare: non solum quia crimen alienum sic faciunt quodammodo suum; sed maxime quia, allata ope, extitit delictum illud, quod, ope negata, fore non erat perfectum, et fore non tentatum quidem ille, qui admisit. Numquid vero ideo pœnam subibunt ordinariam, quemadmodum si primarii fuissent eorum partes in crimine? Doctores distinguunt opem proximam, et remotam. Præbetur proxima in crimine ipso: ceu si quis effregerit portas a fure intrandas; aut si teneat eum, quem alter interim spoliat; aut etiam armatus adstat tantummodo, quo terrorem præsentia sua ei, qui vim patitur, inferat, resistendique animum detrahat,

detrahat, Antonius Mat. proleg. cap. 1º § 11. et in lib. 48. tit. 19. ff. cap. 4º num. 19º

Sed vero remota fertur ante crimen, id quod facit, qui ferramenta, scalasque commodat, venenum vendit, aut conflat, arma subministrat, dum scit ad furtum, veneficium, cædem peti, et comparari l. si pignore 54º § qui ferramenta 4º ff. de furtis, l. 1ª § præterea 1º ff. ad legem Corneliam de Sycariis, l. si sciente 7ª ff. de lege Pompeja de Parricidiis. In simdique causa versatur, qui crimen meditanti parat, indicatque quam sclere facto ineat fugiendi viam: qua certa re audacior ad scelus is fieri debuit, Antonius Mat. proleg. dicto cap. 1º dicto § 11º non eadem res est, si post crimen adjuverit rei fugam l. furtum 62ª ff. de furtis, ista enim potentior hominis misericordia nihil prorsus addit crimini, quod jam commissum erat, Antonius Mat. dicto cap. 1º § 15º

Enimvero auxilium remotum communiter tradunt debere puniri levius per pœnam extraordinariam: at gravius, perque ordinariam ipsam delicti pœnam auxilium proximum, Antonius Mat. dicto cap. 4º num. 19º Utrumque laudo: nam qui remota sunt auxiliati, illi tantum præbuerunt aliquam facilitatem criminis:

Vastrippa 3.

admiserunt autem crimen ipsum, suntque criminis ejusdem socii, qui proxime, et in præsenti conjunxerunt sutra, operamque ad illud perficiendum l. unica in princ. vers. at qui eis auxilium, et § pænas autem 1º in princ. Cod. de raptu virginum, Antonius Mat. in l. 48. tit. 18. ff. cap. 4º num. 19º

§ 45.

De consultoribus, et hortatoribus criminum.

Indignum sane dubio, et noxium suadendo, hortandoque homines ad scelera impellere. Multum differt, qui consilium dat, ab eo, qui mandat: hic enim vult rem fieri: ille tantum monstrat fieri expedire, relicta alteri deliberatione, faciat illud necne, quod facere causa sua, non causa majoris debet l. ob hæc verba 20ª ff. de his qui notantur infam. l. idemque 10ª § si quis 7º ff. mandati. Hinc illa juris regula = Consilii non fraudolenti nulla obligatio est = l. Consilii 47ª ff. de regulis juris. Quæ regula dum vult nemini debere onori esse, si forte male cesserit consilium, quod in rebus licitis bona fide dederit, simul declarat, diversam esse causam consiliorum

fraudolentorum, qualia certe sunt, quibus alii incitantur ad maleficia, Antonius Mat. proleg. cap. 1º § 7º

Profecto si maleficium persuasisti homini alioqui minime parato, justum est maleficii ~~parati~~ parato eadem de sorte esse, qua mandatorem, vere enim nihilominus, quam si mandavisses, dedisti facinori causam; et ideo in pænam ejusdem facinoris ordinariam videris pariter incidisse (§ 41º). l. non solum 11ª in princ. et § Attilicinus 6º ff. de injuriis, Institutionum eodem tit. § penultimo, ibique Vinnius, l. hæc verba 11ª ff. ad legem Juliam de adulteriis, Antonius Matt. de crim. in lib. 48. tit. 18. ff. cap. 4º num. 18º Si vero consilium suum non peperit voluntatem peccandi, sed tantum addidit facilitatem: nempe si homini jam ad crimen parato indicasti, quo modo facilius tutiusque exequeretur, numeraberis in numero eorum, qui ad crimen tulerunt opem (§ 44º), paremque cum eis pænam subibis l. aut facta 16ª in princ. ff. de pænis, l. si quis 50ª in princip. ff. de furtis, l. 1ª § sed utrum 4º vers. et est verius ff. de servo corrupto. Tandem si criminis neque causa, neque facilitas extitit in consilio

tuo: si hortatus fuisti ad peccandum, qui etiam sine te erat et ęque certo, et ęque facile peccaturus, levior erit pęna tua, quam sui, verum esse debebit aliqua, Antonius Mat. loco citato. Non punieris propter crimen admissum, nec pęnam per eam, quę aut crimen, aut datam crimini opem sequatur Institutionum tit. de obligationibus quę ex delictis nascuntur § interdum 11° vers. certe, Vinnius ibi. num. 1° in fine; punieris tamen quantumvis minus propter ipsum consilium datum: quod quidem consilium si nihil damni peperit, te nihilominus prębuisti, quantum in te erat, ut pareret, Antonius Mat. de Crim. proleg. cap. 1° § 9° prope finem (§ 10°).

Plane in sceleratis ipsis incitamentis talibus inest ratio criminisque, pęnęque: sunt quippe intrinsecus mala, sunt plerumque noxia, sunt semper plena periculi: itaque societatis interest haud relinqui impunita. In eoque consentit communis schola, dum pęnam decernit ordinariam in consultorem rei aliter non peccaturi; in consultorem autem peccaturi eodem modo extraordinariam, et minus acerbam, Antonius Mat. de Crim. in l. 48. tit. 18. ff. cap. 4° num. 18°

Quid vero si id, quod accidit frequentissime, sit dubitabile, poterit, necne consilium malum conferre aliquid aut ad perpetrationem facinoris, aut ad facilitatem? Videtur pęnam aliquanto esse asperiorem habere, quam si foret manifestum, nihil ad neutram contulisse; ita tamen, ut minime exequet acerbitatem pęnę ordinarię, quę convenit tantum in causam crimini datam exploratę, certęque.

Superest, ut videamus de nequam illo suasore, cui non fuerit gestus mos in exequendo crimine. Scio non deesse, qui sentiant impunitum hunc abire oportere, in eoque numero est Antonius Mat. de crim. prol. cap. 1° § 10° prope finem, cui sententię adhęrere nequeo. Nam si minime extitit crimen illud, quod persuadere quis conatus fuit, certe extitit consilium improbum, in quo ipso crimen versari nuper agnovimus (hoc eodem § 45° in principio). Sique ob eam rem communiter existimatur puniri illud oportere, etiamsi nihil nocuerit, quando etiam nullo ejusmodi consilio dato extiturum nihilominus delictum erat, non videtur qui sic existimant (in quo numero

idem ~~Ant~~ Antonius Mat. est in lib. 48. tit. 18. ff. dicto cap. 4.º num. 18.º) non videntur, inquam, ibi satis constare sibi, nisi eadem ducti ratione ipsum consilium malum affirment ibidem vindicandum, quamvis nihil nocuerit in crimine, quod minime contigit. Et ad rem facit id, quod Justinianus proponit in eo, qui nefariis rationibus servum alienum corrumpere erat adnisus = (licet enim (ait) servus minime deterior factus est, tamen consilium corruptoris ad perniciem probitatis servi introductum est =. Ideo etiam in minus efficacem consiliarium talem ~~vult~~ vult animadverti = Ne (pergit Legislator idem) ex hujusmodi impunitate et in alium servum, qui facile possit corrumpi, hoc facere pertentet = (. si quis 12.0.ª cod.ª de servo corrupto.

Nec sane est cur nimia videatur ista severitas in id genus hominis, qui rem sacram, sicut veteres non sine causa putabant consilium, convertunt in scelus; qui nullis propriis, vehementioribusque commoti affectibus in rebus alienis, nec per inconsultam aliquam excusabilem levitatem, at dedita opera, ac vero persuadendi studio, doloque tranquillo, ac pessimo sententiae, nimium quae jam ad malum inclinat ipsa per

se, progeniem humanam, constantissimeque, ac persuasionibus additis, in crimina facile præcipitem agere.

§ 46.

Utrum sint in crimine, crimina qui non impediunt.

Qui rem publicæ, privatimque nocuam, crimina possunt impedire, et non impediunt, eos ex saltem nomine accuso, quod ita obliviscuntur illam charitatem mutuam, qua homines debemus hominum perniciem avertere, absurdescuntque voci ~~natu~~ naturæ unumquemque monentis facienda pro aliis esse, quæ pro nobismetipsis facere vellemus; Tullius de officiis lib. 3.º cap. 1.º Eoque pertinet illud ejusdem de officiis lib. 1.º cap. 9.º in princ. = Sed injustitiæ duo genera sunt, unum eorum, qui inferunt, ~~alterum~~ eorum, qui ab iis, quibus infertur, si possint, non propulsant injuriam. Nam qui injuste impetum in quempiam facit, aut ira, aut aliqua perturbatione incitatus; is quasi manus videtur violentas afferre socio: qui ~~autem non~~ defendet, nec obsistit, si potest, injuriæ, tam est in vitio, quam si parentes, aut patriam, aut socios deserat =. Verumtamen